Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Tractatus theol. de actibus humanis - Cod. Ettenheim-Münster 302

[S.l.], 1697

Quaestio 6ta

urn:nbn:de:bsz:31-131009

Visual Library

sibi in agendo subordinatum, et necessitat eandem in agendo, sive quoad specificationem sive exercitium. Ita sentiunt contra recentiores haeretici & varios alios. Ratio est quia Deus reliquit hominem in manu consilij sui. Eccles. 15 & ad providentiae divinae suavitatem pertinet naturas rerum non corrumpere, sed servare iuxta S. Dyonisium c. 4 de divinis nominibus, & ideo Deus unamquamque rem movet concursu ordinario convenienter naturae suae, liberam libere, necessariam, necessario; non vero extra ordinarie potest, ut necessitetur voluntas à Deo, idque factum esse in confirmatis in gratia docet Vallatia disp. 2. q. 5. puncto 4. Confirmatur Deus agit per intellectum & voluntatem juxta alibi dicta, atqui nec voluntas nec intellectus divinus imponit necessitatem rebus à se cognitis & volitis, ut alibi ostensum. Quaestio 6. quid & quarum rerum sit intentio.

Quaestio 6ta

Quid & quarum rerum sit intentio.

Inter actus, quos habere potest agens circa finem, primum est simplex amorem, sive complacentiam boni, quod habet rationem finis, Notamus supra: post quem proxime sequitur intentio, de qua quaeritur praecipue quid sit? quod eius obiectum & subiectum?

Concludo prima Intentio est actus voluntatis, non intellectus. S. Th. h. art. 1. cum communi. Ratio est intentio non est actus prosecutivus, ut ex terminis patet: Ergo est alicuius alterius, qui prosecutivus potius actus, qualis potius est voluntas & non intellectus.

Obijcit S. Bonaventura in 2da dist. 38. art. 2. q. 2.

Intentionem a Chro significari nomine oculi, lucernæ, luminis &c. quod videat intellectum, & electionem, & non voluntatem significare, eo quod voluntas cæca, & illius actus, a recte conferantur lumini, oculo &c. — R. nomine oculi &c. haud aliud metaphorice significari, quam intentione dirigi totam electionem, executionemque mediorum, sicut oculis &c. dirigimur in tota & omni actione nostra, cuiuscunque deinde potentiæ actus sit intentio. — Etsi voluntas et dirigat electionem & executionem mediorum, hoc tamen est discrimen inter intellectum & voluntatem, quod ille eam dirigit judicando & proponendo, ista autem appetendo & imperando.

Conclusio 2da intentio est actus voluntatis circa finemque convenientia media obtinendum. Ratio est, quia intentio est in eo differt ab amore, spe & desiderio simplici, quod intentio directe & mediate in precognitum finem, sive bonum per se amabile fertur non quomodocunque, sed quadam industria, hoc est per media consequendum: quam non involvit simplex spes, desiderium & amor.

Conclusio 3tia Etsi intentio semper versatur circa finem, non tamen versatur tantum circa finem ultimum, sed etiam circa fines intermedios S. Th. art. 2. — Ratio est, non tendimus in finem ultimum, nisi etiam tendamus in medios fines ut fines; imo hoc ipso quod finis est sive ultimus sive non ultimus potest propter se ipsum appeti formaliter, adacquirendusque media & consequenter potest intendi.

Obijcitur sicut media ut media formaliter poterunt appeti ut obtinenda per alia media, ita non tantum finis ut finis, sed et media ut media possunt intendi, quod est contra conclusionem & S. Thom. R. concessa ante negando consequentiam, quia non sufficit ad intentionem ut aliquid formaliter appetatur tamquam per aliquid obtinendum, sed necesse præterea est, ut propter se ita appetatur quod proprium est finis non mediorum.

Obiectio contra 3. conclusionem

Conclusio 4ta. potest voluntas plures particulares fines simul intendere sive uno sive plurib. actib., sive fines illi ordinentur, ad unum aliquod 3tium, ut fit v. g. in intendente sanitatem ingredi, et intendo simul lapidos cibos edere, et audire suavem musicam &c.

Conclusio 5ta. proprie dicta intentio non convenit brutis. S. Thom. a. 5. — Ratio est. bruta sentientia non intendunt in finem cognoscendo finem formaliter h. e. comparando media cum fine, in qua tendentia et motione formalis ratio propria, et verè intentionis sita est. Quaestio 7tima, quid et circa quid sit consilium.

Quaestio 7ma

Quid & circa quid sit consilium.

Quemadmodum ad intentionem requiritur

Ita postquam hoc finem semel efficaciter intendit ac prosequi statuit, antequam ad electionem procedat, debet consultare de medijs, quibus finem obtineri posse judicat, et is actus consultandi vocatur Consilium, quod nomen hic non est restringendum ad eubuliam, sed est extendendum tam ad bona, quam ad prava consilia. Consilium tripliciter sumitur quod [illegible] sumitur. Imo pro sola inquisitione practica mediorum. 2do pro solo judicio practico de medijs inquisitis